Stadnicki M. Oratio de laudibus Thomae Aquinati

ORATIO
DE LAUDIBUS
S. THOMAE AQUINATIS
ANGELICI ECCLESIAE DOCTORIS
HABITA
In Ecclesia RR. PP. Ordinis Praedicatorum.

VARSAVIAE
Nonis Martii MDCCLXI.

Pohl

PERILLUSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO

FRANCISCO

Schwartzemberg de Witowice

CZERNY

CANONICO

CATHEDRALI CRACOVIENSI
CELSISSIMI ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
EPISCOPI CRACOVIENSIS DUCIS SEVERIAE
AUDITORI GENERALI ET JUDICI
PRAEPOSITO GOŁĘBIOVIENSI
Juris Utriusque

DOCTORI.

Michaël Stadnicki Scholarum Piarum Salutem & vitae diuturnitatem.

Quisquis ad Tuam Vir Amplissime singularem cum in humanis, tum in Divinis rebus eruditionem animum adverterit suum, non probare consilium meum non poterit, quod praesentem hanc Orationem meam in lucem publicam editurus, Tuo Nomini dicatam voluerim. Illud enim jam pridem grati animi mei optimo jure Tibi debe-

debetur monumentum, utpote non Viro duntaxat Literarum Amantissimo, verum etiam Literatorum hominum Fautori perquam eximio. Qui enim potiori jure literis celebrari debent, quam qui, & eas singulari amore prosequuntur, & de iisdem optimè mereri adnituntur? Quanquam verò Tuum in Literas, & amorem, & summa merita multis probare non debeam, ne, quod omnibus luculentissimè notum perspectumque est, in quaestionem vertere videar, nonne tamen abundè jam satis declarâsti, cum singularem & in Patria, & in Exteris, maximè verò in Urbe per quinquennium iisdem operam navaveris, & ita quidem navaveris, ut cum in omnibus scientiis, tum verò praecipuè in utroque Jure ita excellueris, ut nullus fuerit, qui Tibi meritam in utroque hoc jure Lauream reduci jam in Patriam publicè deferri Cracoviae, justum aequumque non censuerit. Quid dicam, cum publico Supremi ad Tribunal Regni Judicis defungereris honore, quibus unquam laudibus Tuam enarrare potero in consulendo prudentiam, in censen-

do

do fortitudinem, in persuadendo, quod justum rectumque esset, vim, summamque eloquentiae felicitatem? Abundè haec omnia silente me pro summo eruditionis Tuae splendore loquantur est necesse, cum nemo vel injustus sit, qui Tuam justitiam desideraverit, consilium verò, ac miram rerum omnium notitiam non admiratus fuerit. Sed cum in tanta rerum tractandarum multitudine, brevitati consulere debeam, mitto dicere, quantum Tuam suspexerit prudentiam Eminentissimus olim CARDINALIS LIPSKI, *Princepsque Episcopus Cracoviensis, cum Te Judicem suum Generalem; piae verò memoriae Princeps* ANDREAS ZAŁUSKI *Episcopus Cracoviensis, Visitatorem suum Generalem saepiùs renuntiasset; missum facio quantùm singulari virtuti Tuae & Prudentiae Serenissimus Rex Noster fiderit, cum in difficillimis negotiis Te suum Commissarium Regium creasset; non commemorabo quantùm Auctoritate Tua, & incredibili partium componendarum felicitate perfeceris, cum in Judiciis Compromissi pluries Arbiter pluries Superarbiter esses, cum*

in

in negotio per multos annos inter Successores WOJENSKI *Episcopi Camenecensis agitato, Causam sapientissimo Decreto Tuo, ita terminasses, ut utriusque partis desideriis satisfieret; cum iterum in Causa Illustris de* Miecielskie RADZIWIŁOWA, *olim Filii Incisoris Lithvaniae, nunc verò Supremi Ducis Exercitûs M.D.Lit: Consortis, cum pari & Tuae gloriae, & partium successu, ageres Superarbitrum; non dicam quantam quàmq; immortalē Tua haec doctrina gloriam Tibi pepererit, cum, seu ad frequentissimā concionem summo omniū plausu & admiratione Verbum DEI saepiùs praedicares, seu cum in Quaestionibus Theologicis decidendis Praeses conferentiarum communi omnium consensu eligereris. Praetereo haec omnia, illud tamen silentio praetermittere non possum, quod & omnibus Amplissimum Sapientiae Tuae praebet Argumentum, & Tibi Vir Amplissime non perhonorificum esse non potest. Notum est omnibus, non dicam Nostratibus, sed etiam, dicam liberè, notum exteris Summis quibusque Viris, acre, & summo Pa-*

triae

triae nostrae bono natum Ingenium Celsissimi Principis CAJETANI SOLTYK *Episcopi Cracoviensis, cujus, cum maxima alia ad posterorum memoriam perventura sint monumenta, tum illud maximum semper celebrabitur, quod in Viris cognoscendis, atque ad sua adhibendis Consilia declarare non desiit. At hic Princeps, & Praesul Sapientissimus, cum primum Episcopus Cracoviensium renuntiatus esset, ingentemq; Curae suae, & labori, commissam Vineam Domini observasset, Te illico in partem laborum assumere, suumque Judicem Generalem & Auditorem esse voluit. Longus essem, si ordine persequi cuperem, quantum Princeps hic Noster spectatissimae Tuae confidat Eruditioni; quidni enim non confideret, cum Tuam Consiliorum promptitudinem, decisionum aequitatem, in agendo verò dexteritatem, & ante noset optimè, & nunc evidentissimis in dies magis, magisque experiatur argumentis. Cum igitur hanc Tuam Sapientiam & omnes norint optime, mirenturque singuli, Tot Viri Illustres, maximè verò Celsissimus & Reveren-*

dissi-

dissimus Cracoviensis Episcopus, Sapientissimo Judicio suo confirmaverit, accipe hoc Tibi jam pridem debitum monumentum, id unum verò oro Te obtestorque, ut qua omnes Literatos Viros complecti soles Benevolentiâ, me, caeterosque Ordinis mei homines, de literis bene mereri percupientes, prosequi non dedigneris. Vale Dabam Varsaviae Idibus Martii MDCCLXI.

ORATIO.

SI cuipiam mirari unquam contigerit, Auditores Sapientiſſimi Humaniſſimi, quod vel à Condito jam ipſo Mundo, praecipuè verò Veteribus, atque etiam recentioribus Eccleſiae noſtrae ſaeculis, plerique ſummâ Sapientiae, ac multijugis eruditionis famâ Clariſſimi Viri, in graviſſimos deinde lapſi errores, multis ac magnis, Sapientiae ſuae ſplendorem aſperſerunt maculis; adeſt Vir eruditione praeſtantiſſimus, meritoque Cicero Chriſtianus dictus Lucius Coelius Firmianus Lactantius, qui cum

A ſapien-

ſapienter alia, tum hìc, ideo pleroſque hominum falli, miſerèque decipi ait, quod aut Religionem ſuſcipiant omiſsâ Sapientiâ, aut Sapientiam omiſſa Religione amplectantur. Clariſſima hujuſce rei argumenta cuivis veteres Sacros codices revolventi pateant, eſt neceſſe. Offeret ſe ſe illico, ut caeteros bene multos praeteream, maximum Sapientiae oraculum illud Rex Salomon, quem ſua Sapientia ac Scientia, ut ſacrae teſtantur Literae, cum avitam Religionem rejeciſſet, decepit graviter. Si verò Veterum Eccleſiae Saeculorum memoriam repetere voluerimus, offerent ſe ſe illico ſplendidiſſima olim Eccleſiae noſtrae lumina, Tertullianus, Origenes, Euſebius Nicomedienſis, Neſtorius Conſtantinopolitanus Patriarcha, Theodorus Mopſueſthenus, atque, ut unum adhuc è ſexcentis proferam, Photius ille Orientalis Schiſmatis Auctor. Quid quaeſo hos tot tantoſque Viros, acerrimos primùm fidei Orthodoxae Aſſertores, in graviſſimos deinde, pertinaciſſimoſque ejusdem commutaverit oppugnatores? Non aliam certè cauſam quisquam eſſe crediderit, quàm quòd veram Sapientiam & quaerere, & invenire ſe poſſe ſine Religione vera autumaverint. Ad caeleſtem hanc Divinamque ſapientiam Beatiſſimus Thomas noſter de Aquino, cum primum è teneris exceſſit annis, Quid? imo à prima ſua infantia toto vitae ſuae

tempo-

tempore ſummo aſpirabat ſtudio, diverſis tamen ad eam ſibi eundum itineribus omnino exiſtimavit. Maximum hoc ego Laudum Sancti Thomae crediderim argumentum, hoc maximum & praeſtantiſſimum, quod ſecuturis poſt ſe ſaeculis Sanctiſſimae vitae reliquit exemplum, quod rectiſſima via ad acquirendam Sapientiam contenderit. Quae vero illa fuerit? Scire Vos optimè arbitror Auditores, atque haec eadem ampliſſimam Orationi meae ad dicendum praebebit copiam. Dicam igitur, Veſtraeque ſingulari ſpectatiſſimaeque confiſus Benevolentiae declarandum jam aggredior, Quantum ſcilicet Thomae Sanctitas ad Sapientiam, & quantum Sapientia ad Sanctitatem profuerit.

Videte Vos quaeſo Auditores, quo primum itinere Sanctitas duxit Thomam ad Sapientiam? En primum initium Sapientiae orditur à timore Domini, quod quidem facile quiſquam Veſtrum deprehenderit, cum primam Aquinatis Noſtri pueritiam inſpexerit. Quintum agebat annum Thomas Aquinas, cum a Piis, aeque ac Jlluſtribus Parentibus ſuis Religioſis Caſſinatibus S. Benedicti cuſtodiendus, atque in Via Domini, & humanioribus literis inſtituendus traditur. Non unus hic ſolus Juvenis in praeclaro illo inſtituebatur Caenobio, erant praeclari alii multi Juvenes, qui tamen alios virtute ſupe-

raret, humanitate devinciret, ad virtutem inflammaret, unus ſemper, idemque primus Thomas cenſebatur. Quis eum ad pias Deo laudes decantandas unquam praecucurrit? quis in ſui demiſſione illo demiſſior? in charitate fervidior? in puritate purior? in omni denique genere virtutum perfectior? Nihil torvum in oculis, nil in verbis procax, nil in actu inverecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior ex ore Juvenis Thomae prodiiſſe audita eſt. Auſcultate haec temporum noſtrorum Juvenes, vitamque hanc, quam nunc agitis, cum prima hac Thomae pueritia velim conferatis. Vos, vos inquam appello Juvenes, qui inter Paternae Domus illecebras, Parentum blandimenta famulorum verò lenocinia enutriti, primum hoc, illudque nitidiſſimum aetatis veſtrae tempus ita Vobis elabi patimini, ut nullum ex ea fructum referatis. Videte, videte Thomam puerulum, nec tamen quaeſo, hunc tantum Virtutum Ejus ſplendorem miremini, haec enim ſunt prima coeleſtis Sapientiae fundamenta, quae timor Domini, ſeu potiùs ſumma Sanctitas, in illo jeciſſe videtur, quae quam fortes deinde radices egerit, Adoleſcens Thomas effectus probavit luculentiſſimè. Teſtis eſt perditiſſima illa mulier, quae cum Sancti Adoleſcentis innocentiã, Virtutiſque conſtantiam face libidinis expugnatura acceſſiſſet,

face,

face, ſeu candente tum adhuc titione eſt propulſata. Teſtes Sorores germanae ſuae, quae cum Thomae Fratri liberioris vitae genus amplexandum perſuadere cuperent, gravi verborum ſuorum pondere ad meliorem frugem ſunt revocatae. Teſtis denique, ut multa hic alia non congeram argumenta, ille, quem mundo mittit, nuntius, illudque vitae genus, quod in Sacerrimo Praedicatorum Ordine amplectitur. Ecquando magis enitere potuit Auditores ſtudium illud Thomae noſtri, quo Sanctitate Duce ac Magiſtra ad Sapientiam contendebat? Cum primum enim ad Caeleſtem vereque Divinam aſpiraret Sapientiam, illico Mundi hujus Sapientiam, ſeu ut Divinae volunt literae, ſtultitiam à Deo jam reprobatam, omnino relinquendam, ac procul à ſe amandandam eſſe cenſuit. Sed cum in tanto ampliſſimorum aliorum Ordinum ſplendore, ſacerrimum Praedicatorum Ordinem Beatiſſime Thoma ingrederis, hìccine hanc Tuam Sanctitatem ad ſummum Sapientiae faſtigium Te perducturam arbitraris? Num cum creſcente tum primum Inclyto hoc Ordine, Tuam etiam Sapientiam creſcere debere Tibi ſtatuis? Ita, ita perſvaſum habuit Aquinas Noſter, cum primùm illuſtrem hunc Ordinem creſcentem tum cognoviſſet, in quo tum jam (O! rem miram, longe tamen certiſſimam,) Sanctitas ac Sapientia domicilium ſibi fi-

xisse videbatur. Quam verò concepta haec opinio Thomam nostrum non fefellerit, dicerem ego & quidem libens dicerem, nisi ea fama, quae per totum pene percrebuit Orbem, abundè pro summo hujus Ordinis splendore loqueretur. Dicerem, nisi pateret singulis, quibus de causis, & quàm singulari Dei munere, idem Ordo per totum, qua longe lateque patet, orbem sit propagatus. Dicerem, nisi in perpetua hominum omnium memoria viverent summi hujus Ordinis Viri, cum Virtutis ac Sanctitatis gloria, tum Sapientiae fama celeberrimi. Haec ego dicerem, cum pro singulari in Thomam pietate, tum pro pervetusta Ordinis mei in Amplissimum Praedicatorum Ordinem observantia ac necessitudine, atque etiam multo alia plura dicerem, nisi notum omnibus perspectumque esset, tantum Ecclesiam Universam Amplissimo huic debere Ordini, quantum nullus unquam Oratione sua persequi potest, sed haec posteritas praedicabit, nullaque unquam deletura est oblivio.

At haec Sanctitas, quae suaviter fortiterque Thomam Nostrum ad Caelestem perducere conata Sapientiam, Amplissimum Vestrum suasit Ordinem, haec eadem Eundem docuit mentem puris ac sanis doctrinis imbuere, quibus fidei robur, summumque firmamentum accederet.

Cum

Cum enim illud Dei mandatum ad aures Thomae pervenisset: *Stude Sapientiae Fili mi, & laetifica Cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem*, illico, quasi id sibi dictum esset, fulminis veluti quodam ictu percitus, nil nisi Sapientiam meditari, nil nisi purissimum nitidissimumque doctrinarum fontem hauriendum cogitare coepit. Quanquam verò Angelicus ipse Doctor saepius testari solitus fuerit, plus se Oratione, quam studio in acquirendis condiscendisque scientiis profecisse, quis tamen ignoraverit, omne illud tempus, quod à Divinis sibi laudibus, caelestiumq; contẽplatione rerum vacaret, totum inquam illud tempus studiis dedisse Thomam? Hinc enim est Auditores, quod saepius de hominum infirmitate conqueri Thomas audierit, quòd tempus, exiguo licet cibo somnoque capiendo, insumendum est, quod longè commodiùs, longèque utiliùs studio, aut rebus Divinis impendi posset; hinc est, quod quidam praestanti Authoritate Vir testatur, ut tanto mentis conatu lectiones Magistrorum exceperit Thomas, ut quas audiret, profundiùs, clariùsque edissereret, quam suus dixisset Magister; hinc denique factum esse crediderim, ut ad Eum Condiscipuli, tanquam ad quoddam jam tum confluerent Oraculum, Eundem in suis dubiis consulerent. Quàm verò sana purissimaque Doctrina Thomae fuerit, quanquam

pluri-

plurima congerere possem argumenta, ne tamen nimium longus videar, unum proferam, quo Paulus V. Pontifex Maximus, cum grati animi, tanto Ecclesiae Doctori significatione testatur, S. Thomae scilicet scriptorum clypeo Ecclesia militans omnia infensissima Haereticorum tela, facile, feliciterque eludit. Rident haec fortasse iniquissimi Veritatis osores, atque haec, aliaque talia Romanos Pontifices pro veteri se se ostentandi libidine dixisse obganniunt. Nonne tamen acerrimam Doctrinae Thomae vim saepius experti estis? Quid? ejusne Sapientiae resistere potuistis? At ridete, ridete, & quantum libet veritatem traducite, haec tamen invitis vobis ac reluctantibus pateat est necesse, cum Thomas noster, non ea duntaxat, quibus, cum ille adhuc in vita esset, fidei veritatem impetere ausi estis, tela vestra retuderit, fortiterq; propulsaverit, sed illa etiam, quod magis Divinā Ejus declarat Sapientiam, quae venientibus post se saeculis excogitaturi, & paraturi eratis dogmata, & ipse praeviderit, & erroris falsitatisque coarguerit, & condemnarit. Sentitis haec & fatemini, at certè sentire & fateri coguntur, primum post mortem Angelici Doctoris exorti Palamitae à Gregorio Palama Graeco Monacho nuncupati, senserunt Fratricelli, Dulcinistae, Begvardi & Begvinae, sensit Joannes Hus, & Joannes Wiclefius, atque qui his

suam

ſuam debent originem, Horebitae, Orphani, Thaboritae, Callixtini, Fratresque Bohemi Angelicae Doctrinae vim ſenſerunt. Quid Lutheranos à Luthero memorem, quid Sacramentarios à Zuinglio, Anabaptiſtas, Confeſſioniſtas, Brentianos ſeu Ubiquiſtas, quid Oſiandrianos proferam? Quid loquar de Calviniſtis, Anti-Trinitariis Socinianis, quid Libertinos, quid Antinomos in medium producam? Veſtram hìc ego modis omnibus abſolutiſſimam appello Sapientiam Auditores, veſtraque admurmuratio facit, ut meam Sententiam probare videamini, hos enim omnes errores, & veterum & noſtrorum temporum ita refellunt Theologi, ut unicuique eorum ſingularem tractatum, Articulum, Caput denique ſingulare ex Operibus S. Thomae aſſignent, ut proinde non poſt fata, ſed ante ortum Ejus prodiiſſe meritò optimòque jure videantur. Hinc major in dies Operum S. Thomae praeſtantia atque uſus coepit creſcere, ut illa à Gennadio Conſtantinopolitano Patriarcha, à Demetrio Cydonio, à Georgio Scholario, & aliis pluribus graecè reddita, à Joſepho verò Cyanthes, illuſtri primum Ordinis Praedicatorum Alumno, deinde Praeſule Marſienſi in Hebraicum tranſlata idioma conſpiciantur. O! ſummam Sapientiae Magiſtram vitae ipſius Sanctitatem! O! perraram Sanctitatis & Sapientiae ſocietatem! Quae ut magis

patere poſſit, quantùm ad acquirendam Sapientiam Sanctitatem Thomae profuiſſe vidiſtis, tantùm Eidem ad Sanctitatem aſſequendam Sapientiam profuiſſe obſervabitis. Quod alterum cum breviter expoſuero, perorabo.

Cum enim è Sacrarum Literarum codice illum, *qui ſummo Animi ſui conatu concupiſcit Sapientiam, Juſtitiam primùm ſervare debere*, didiciſſet, omnes primùm vires animi corporisque impendit, ut effraenatos Animi motus compeſceret, quod cum fauſtè feliciterque eſſet conſequutus, omne deinde contulit ſtudium, ut ad virtutem mores ſuos componeret. At mirum fortaſſe cuipiam Angelicae vitae Thomae noſtri legenti ſeriem videri debet, quod nunc de Ejus mira agendum cenſuerim poenitentia, qui contra omnia concupiſcentiae irritamenta ſatis ſuperque munitus erât, cum partâ de impudentiſſima muliere illa victoriâ, lumbos ſuos à coeleſtibus praecingi ſpiritibus meruiſſet. Verum videte, atque in eo ipſo Coeleſtem Thomae miremini Sapientiam Auditores. Haec enim Divina perſuaſit Sapientia, minimè virtuti, viribusque ſuis fidendum eſſe, ſed ſemper ad altiorem, perfectioremque Sanctitatis gradum aſpirandum. Cum enim Sapientiſſimum illud Nazianzeni Gregorii animo ejus planè inſediſſet effatum: *Ad veram Sapientiam pervenire non poſſunt, qui falſae ſuae Sapientiae*

fiducia

fiducia desipiunt; tum ille etiam Sapientissimus Rex Salomon animo Ejus obversari nunquam destitit, quem sua, ut jam innui, non modo in terris decepit Sapientia, sed etiam aeternam suam salutem dubiam esse voluit. Quamvis itaque Cor Thomae ita munitum esset, ut prorsus inexpugnabile videretur, ne qua tamen vaferrimis hostibus pateret aditus, Corpus Spiritui omnino subjicere, ejusque mancipare obsequio, omni contendit ratione. Saeviebat ille in imbecillum, fractumque jam laboribus Corpus suum, atque eò fortiùs saeviebat, quò uberioribus Ejus animus Coelestis gratiae irrigabatur donis; cumque omnibus jam sibi cuperet interdicere, vix ac ne vix quidem indulgens somno, tantundemque cibo, continuis jejuniis, caeterisque adeo se se excruciare solebat afflictationibus, ut vitam Ejus omnes admirandam potiùs, quam imitandam crediderint. Quis igitur miram Ejus merito non dixerit poenitentiam, si nec Sanctissimorum Praeceptorum adhortatio, ad sibi relaxandum, nec infirma valetudo, ad aliquam sibi commoditatem indulgendam, nec labor ipse ad quietem potuerit unquam avocare. O! miram, nec unquā bene satis conceptam Animi Corporisque humani Unionem, mutuumq; commertium! Ecquando luculentiùs videri, probarique illud potuit, quàm in Angelico Doctore patuit?

 Quan-

Quando enim Mens haec Sanctiſſima concepit quidpiam, cui Corpus non illico obſecundaret? Quid unquam mens appetiit, cui corpus reluctaretur? Quid unquam propoſuit, ad quod exequendum omni ſtudio Corpus non conſentiret? Merito proinde illud Doctoris Gentium crebris uſurpare ſermonibus Thomas potuit: *Caſtigo Corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

Sed cum Sacrarum Literarum Oraculum à quovis exigat Sapiente: *ut qui Sapiens eſt, oſtendat ex bona converſatione Operationem in manſvetudine Sapientiae.* Videte Vos quaeſo AA, quam rectè cum ad virtutem mores ſuos effingeret, perfecit id Thomas noſter. Quamvis verò commune id navigantium eſſe ſciam, ut quo propiùs à portu abſunt, atque adeo, ut illum arripere velis, ut canit Pòéta, videantur, eò fortiùs, laetiùsque contendant remigibus, vela pandant, laetique portum intueantur; non idem tamen accidiſſe mihi video Auditores, quò enim propiùs à fine Orationis meae me eſſe ſentio, eò majus mihi aequor enavigandum, majoresque procellas ſubeundas extimeſco. Cum enim de praeclaris Thomae virtutibus agere in Animum induco meum, quam harum primam memorē, quam poſtremam? Quid ſi principium arduum minùs fuerit, quis tandem exitus ſit futurus? Sed tamen audebo aliquid, id unum rogo Vos obteſtor-

ſtorque Auditores, ut cum multa me reticere, nonnullorum ſumma duntaxat genera complecti, caetera verò ſtrictim pertractare audieritis, detis benignè hanc veniam; Perdifficile enim eſt, Vos ipſi fatebimini, tam brevi tempore complecti, ac enarrare omnia, cum punctum temporis nullum, ſingulari aliqua vacuum virtute praeterire paſſus ſit Jlle.

Mitto igitur dicere Auditores, quam integerrimis moribus Adoleſcentiã, florẽ aetatis ſuae exegerit Thomas Noſter, nihil hic de ferventiſſima Ejus in Deum pietate, nihil de pietate in Parentes, nihil de perpetua in caeteros omnes, non ſibi pares duntaxat, ſed infimos etiam obſervantia. Praetereo ſingularem vitae morumque innocentiam, ut quamvis in terris adhuc degeret, vitam tamen coeleſtibus perſimilem Spiritibus, agere videretur. Miſſam facio eximiam erga egenos charitatem, quorum Patronum Optimum apud piiſſimos Parentes agere à teneris annis conſuevit. Nihil proferam de generoſo Thomae in contemnendis terrenis rebus Animo, ad quarum amorem, nec Generis Paterni è Nobiliſſima juxtaque vetuſtiſſima Comitum Aquinatium, nec Materni, ex florentiſſima hodie etiam Marchionum Carraccioli Familia, claritudo allicere, nec praeſens tum, ſummaque apud Imperatorem Potentiſſimum totius Domus ſuae gratia & accepta-

ceptatio, nec denique ingens divitiarum copia, aut qua praestabat maximè, gratia Corporis, pertrahere unquam Thomam potuit, Praetereo haec omnia, atque sexcentas alias praestantissimas dotes animi, quibus Cor Thomae splendescens, optimo meritoque jure cum hortulo Sponsae Canticorum conferri potuit, in quo nullus flos defuit, qui suâ praestantiâ, suaque pulchritudine valeret quidpiam. At cum tantis Dei cumulatus esset charismatis, quae ejus modestia, animique demissio ? quae in perferendis injuriis invicta patientia ? Meministis, meministis haud dubito Auditores, cum seu per contumeliam, seu quod minùs tum idoneus ad sublimiores putaretur scientias, seu quod per modestiam incredibilem talis omnino videri voluit, cum inquam Bos à suis aequalibus vocitaretur, ecquando verba verbis retulit ? aequando exarsit ? ecquando est indignatus ? ferebat haec aequissimo ille animo, cum, quantò aliis aut carior, aut dignior, tantò sibi vilior videri semper voluit. Sed cum tantùm aliis tribueret, quantùm ipse in conversatione placidus, consilio providus, omnibus verò obsequentissimus semper fuerit, abundè jam satis declaravit, cùm & suum Discipulum, in publico Eruditissimorum Virorum consessu ad defendendas Theses expositum, temerè sibi adversantem, non graviùs ut par erat, reprehenderet, sed placidissimo

vultu

vultu ac ſermone in ſuam pertraxerit ſententiam; teſtatus inquam maximè ſuum omnibus obſequendi ſtudium Thomas Noſter, cum Fratrem ſui Ordinis ad mendicandum oſtiatim ſecutus, cumque tandem, quis eſſet cognitus, veniam erroris ac ignorantiae ſuae deprecari Eundem Fratrem non ſiviſſet. O! modeſtiam tanti Viri, tantique Doctoris ſingularem quae certè eò illuſtrior eſſe debuit, quò Thomas Potentiſſimorum Regum, ac in his Sancti Ludovici Regis Galliarum favore cumulatior, Summorum Pontificum beneficiis, honorificentiſſimiſque teſtimoniis auctior, omnium verò Doctiſſimorum Virorum, juxta ac Celeberrimarum Academiarum laudibûs honoratior, ubique pene terrarum celebrabatur. Non jam itaque mirari quempiam poſſe arbitrabor, ſi difficile dictu ſit, utrum magis orthodoxae hoſtes Fidei Sapientiam Ejus, cum eo decertantes, timuerint, an hanc tantam manſuetudinem, animique modeſtiam victi dilexerint.

Sed tempus me deficeret Auditores, ſi quantùm Thomas Noſter ad virtutem mores ſuos conformare ſtuduerit, tantùm ego ardentiſſimũ hoc ejus pietatis ſtudium non dicam exornare, ſed enarrare contenderim. Gaude igitur Tuo tam incõparabili bono Sancta Mater Eccleſia, quae plusne Angelicae Thomae Sapientiae, an verò incredibili vitae Ejus Sanctitati, obſtrictam Te eſſe

ſentias

sentias, certò definire non audeam. Gaude potiùs utroque hoc insigni, praestantiq; Thomae munere, cum aequè certè Sanctitas illi ad Sapientiam, ac Sapientia ad Sanctitatem profuerit. At cum merito, optimoque jure gaudere Te certò sciam, tum illud in perenne Amplissimorum caeterorum Inclyti Praedicatorum Ordinis in Te meritorum, sit monumentum, quod ille maximè & Sanctitate sua Sapientiam Angelici Doctoris promoverit, & Sapientiâ Sanctitatem adjuverit. *Dixi.*